

OECONOMIA. EX EZECH. XXXIII. II.

præparavit *Johannes Baptista*, Esa. XL. 3. Malach. III. 1. Luc. I. 17. 76. III. 4 &c. Hæc *Via Domini* dicitur ipsa *Penitentia*, vel *conversio hominum*, Luc. I. 17. quam prædicavit *Johannes*, Matt. IV. 1. *Penitentiam agite: nam appropinquavit regnum celorum*, & idem ipse *Filius Messias* repetit, c. IV. 17. & per totam vitam nihil aliud, quam *penitentiam* prædicavit, sicut ejus apud *Evangelistas dicta*, vel *acta*, testantur, Marc. II. 17. ubi dicit: *Non necesse habent sani medico, sed qui male habent: non enim veni vocare justos, sed peccatores ad penitentiam.*

13. (c) *Deo Spiritui Sancto*, tum quia peculiariter ei tribuitur omnis *sanctificatio*, sicut *Patri Creatio*, *Filio redemptio*: jam vero *conversio*, pertinet ad *sanctificationem*: tum quia propheta, ceu *Minister conversionis* hic mittitur, & *divinitus* adhibetur: *Dic ad eos* (filios Israel): propheta v. non ex sua voluntate, sed *ἵνα ἔπιβουλεύσῃ ὑμῖν* locuti sunt, II. Pet. I. 21. tum quia *Spiritus S.* est *Spiritus vitæ*, Rom. IX. 2. *Spiritus regenerationis*, & *vitæ collationis*, quia *regeneratio* nihil aliud est, quam *vitæ spiritualis collatio*, Joh. III. 6. Tit. III. 5. *Spiritus adoptionis*, Rom. IX. 15. &c. tum quia *Spiritus* est *novus Spiritus conversionis*, sicut mox noster propheta sequenti, c. XXXVI. 25. seqq. docet: *Effundam super vos aquam mundam* (Spiritus S.) *& mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris, & ab universis idolis mundabo vos: & dabo vobis cor novum & SPIRITUM novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & SPIRITUM MELLIS ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini, &c.* tum quia *conversio* dicitur fieri per *verbum*, cujus *revelator, Doctus, & Ductor*, est ipse *Spiritus S.* Joh. XIV. XV XVI. ubi sæpius hoc asseritur, & per totam *Scripturam* idem ostenditur: tum quia *tertius Adonai*, v. 20. *Spiritui S.* non inconvenienter appropriatur *partim* quia de *immediata conversionis Oeconomia*, vel *ἐγγραφία* dicitur ibi sermo fieri, juxta v. 19, *Cum recesserit impius ab impietate sua, feceritq; judicium & justitiam, vivet in eis; partim*, quia *recta via* dicitur *Spiritus Sancti*, qui *deducit nos, vel conversos, in via recta*, Ps. CXLIII. 10. non

B

conver-